

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3615

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Rumesnil, La Trinité des Groisilliers (église)

**Bénéficiaire(s) :** Perruel, Notre-Dame de l'Isle-Dieu (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1261, février

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

En vidimant une charte du prêtre Hugues des Groisilliers, Louis [IX], roi de France, confirme les donations faites par Hugues des rentes annuelles de 160 sous tournois et de 20 sous en monnaie usuelle avec un quartier de froment et un demie acre de vigne à l'église de La Trinité des Groisilliers, d'une part, et d'une rente annuelle de 20 sous tournois payés par la main du sacristain de l'église des Groisilliers à l'abbé et aux moines de L'Isle-Dieu.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 653, p. 132.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri, quod nos litteras Hugonis de Groisselers, presbyteri, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, ego Hugo de Groiselers, presbyter, Lexoviensis diocesis, salutem in Domino. Sciant omnes presentes pariter et futuri, quod ego Hugo predictus, pro salute excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia, regis Francie illustris, et pro salute anime mee ac omnium benefactorum meorum, dono et concedo in puram et perpetuam elemosinam Deo et ecclesie sancte Trinitatis de Groisselers sexaginta solidos turonensium annui redditus, ad inveniendum in ipsa ecclesia im perpetuum tres cereos qui singulis diebus et noctibus ardebunt, dum matutine et totum aliud officium divinum celebrabitur in ecclesia memorata, quos sexaginta solidos turonensium habere et percipere consuevi annuatim a personis inferius nominatis, videlicet a Richardo Gournardi quinque solidos turonensium, ab abbate et conventu Vallis Richerii quinque solidos, a Radulfo Escornevatel octo solidos, a Nicholao Escornevasel duodecim denarios, a Guillelmo le Qoigre tres solidos, a Rogero Fabro de Bella fago septem solidos, a Guillelmo Buffero octo solidos, a Durando Anglico quinque solidos et sex denarios, a Guillelmo Rogeri quatuor solidos, a Thoma de Hamello duos solidos. Item dono et concedo, ad opus trium lampadum, que in dicta ecclesia im perpetuum ardebunt, dum divinum officium ibidem celebrabitur, quadraginta solidos turonensium annui redditus, quos habere et percipere consuevi a personis inferius proximo nominatis, videlicet a Hugone Petronille sex solidos et sex denarios, a Roberto Otton octo solidos, a Richardo Ysabelli octo denarios, a Hugone Rouvelin sex solidos, a Roberto Murient duodecim solidos, a Blondello octo solidos. Item dono et concedo, ad reparacionem dicte ecclesie, viginti solidos usualis monete annui redditus,

quos habere et percipere consuevi quolibet anno a personis, quarum nomina proximo subsecuntur, videlicet ab Alveredo Blondel duos solidos, a Richardo Hugonis duos solidos, a Guillelmo Gilleberti duos solidos, a Guillelmo Cornuto quatuor solidos, a Hugone de Becco tres solidos et sex denarios, a Richardo Quoquemen duodecim denarios, a Guillelmo Otton quinque solidos. Item dono, ad unam lampadem, que perpetuo continue de die et de nocte ardebit in ipsa ecclesia ante Sanctos Angelos Michaelem et Gabrielem, viginti solidos turonensium annui redditus percipiendos super culturam de Vignetoch. Item triginta solidos turonensium annui redditus ad emendum thus ad incensandum cotidie sanctissimum corpus Xpisti, percipiendos annuatim super culturam predictam. Item decem solidos turonensium annui redditus, ad inveniendum in dicta ecclesia duos cereos im perpetuum accendendos cotidie in missa ad elevacionem corporis Xpisti, super culturam predictam percipiendos. Item dono unum quarterium frumenti ad inveniendum in ipsa ecclesia panem in altari sacrandum, et dimidiam acram vinee pro vino ad sacramentum altaris querendo. Item do abbatii et conventui de Insula Dei viginti solidos turonensium annui redditus percipiendos super prefatam culturam per sacristam ecclesie de Groisselers predice, qui sacrista tenebitur annuatim facere de dicto redditu dictis abbatii et conventui unam pitanciam in crastino festi Beati Martini estivalis, ita quod ipsi abbas et conventus ea die in ecclesia sua de Insula Dei missam Sancte Trinitatis annuatim im posterum sollempniter celebrent, et in universis bonis et singulis dicti loci de Groisselers nichil poterunt de cetero reclamare, nisi tantummodo correptionem ordinis et emendationem. Preterea volo et concedo quod sacrista dicte ecclesie de Groisselers, qui pro tempore fuerit, in omnibus tenementis que tenent a me abbas et conventus predicti ac alie prenominate persone, pro satisfaccione dictorum reddituum et non pro aliis, possit, si necesse fuerit, justiciam exercere. Homagia vero, relevia et auxilia, servicia et omnes alias redditus, et omne aliud dominium quod habebam et habeo in predictis omnibus et singulis, michi et heredibus meis expresse illesa reservo. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> sexagesimo, mense februarii.

Nos autem donationem et concessionem predictas volumus, concedimus et laudamus, et eas prenominate ecclesie de Groisselers ac abbatii et conventui de Insula Dei predictas in manu mortua tenendas, sicut superius sunt expresse, auctoritate regia confirmamus, salva tamen nobis justicia quam habemus in rebus et personis predictis, et salvo jure in omnibus alieno. In cuius rei testimonium, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup>, mense februarii.